



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

XXII. De officio episcoporum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

ANNO
CHRISTI
1237. gare in pios vsus arbitrio episcopi compellantur
alias , salua nihilo minus poena canonica contra
eos. Sint autem solicii frequenter interesse capi-
tulis per singulos decanatus , in quibus diligenter
instruant inter alia sacerdotes, vt bene sciant & sa-
ne intelligent verba canonis & baptismi, quæ sci-
licet sunt de substantia sacramenti.

XX I.

Ceterum districtius duximus inhibendum , ne
ecclesiarum prælati , & maxime archidiaconi , &
decani, vel officiales eorum , vel etiam quicumque
alii ad vniuersitatem causarum vel aliqua negotia,
ratione iurisdictionis ecclesiasticæ vel officii spiri-
tualis , ecclesiæ forum contingentia delegati, quin
de discordiis vel querelis fiat pax vel concordia in-
ter partes præsumant aliquatenus impedire : sed
quandocumque partes voluerint , a iudicio per
compositionem recedant, dummodo sit tale nego-
tium quod iure possit transfigi vel componi , nec
exigatur aliquid propter hoc ab eisdem.

XX II.

Quid ad venerabiles patres archiepiscopos &
episcopos incumbat ex officio faciendum, nomen
dignitatis eorum , quod est episcopus, id est super-
intendens, exprimit euidenter. Intendere quippe
habent , & supra gregem suum , iuxta verbum eu-
angelicum, noctis vigilias custodire. Cum igitur es-
se debeant forma gregis, ad quam se debent subdi-
ti reformare, quod nequit fieri, nisi omnibus se ex-
hibeant in exemplar. Exhortamur igitur eos in
Domino , & monemus, vt moram trahentes apud

360 GREGORIVS CONCILIVM. FRIDERICVS II. IMP.
P. IX. HENRICVS III. R. ANGLIE.

cathedrales ecclesiæ, congruenter ibidem Missas celebrent, in præcipuis saltem solennitatibus, & diebus dominicis, in quadragesima & aduentu. Circumstant præterea dioeceses suas temporibus opportunitis, corrigendo & reformando, consecrando ecclesiæ, & verbum vitæ in agro dominico seminando. Ad quæ omnia melius exequenda, professionem, quam in sua consecratione fecerunt, saltem bis in anno, scilicet & in maiori quadragesima faciant sibi legi.

X X I I.

Cum non solum potestas sed discretio & scientia in distinguendis negotiis potissimum requiratur, solerter ab omnibus præcauendum, ne talis iudex vel cognitor deputetur, per cuius imperitiam, simplicitatem vel ruditatem, inutilis feratur sententia vel iniusta, absoluatur nocens, & innocens condemnetur. Propterea duximus statuendum, quod matrimoniales causæ, quæ inter ceteras maturitate magna & diligentia sunt tractandæ, viris prouidis & fide dignis, & habentibus iurisperitiam, vel saltem competens exercitium, committantur. Si qui vero abbates archidiaconum vel decanum habent, ex priuilegio vel consuetudine approbata, quod de matrimonialibus causis cognoscant diligenter, ipsas examinare procurent, ita quod tam ipsis quam delegati eorum ad definitiuam sententiam non procedant, nisi habita prius deliberatione de causæ meritis cum dioecesano episcopo diligenti, ipsiusque requisito consilio & obtento: ad quod etiam volamus teneri exēptos, vel speciali priuilegio munitos.

X X I V.